

illum iidem sibi vindicent: quemadmodum & Prædicatores Thomam Aquinatem, qui antequam ad Prædicatores transiret Monachus fuerat, & ad extremum, cum in itinere morbo premeretur, religione tactus in Cœnobium, ubi prius Monachus extiterat, portari se voluit, ibique Monachus mortuus est. Ejusque corpus obviat Monachi. Hæc ille: Monasterium Fossæ-novæ, ad quod morti proximus asportatus est D. Thomas, Cœnobium vocat, ubi prius Monachus extiterat: hoc est, Cœnobium illius Ordinis, & instituti, ubi prius Casertenses enim, quorum erat Fossæ-novæ Cœnobium, Benedictini censentur, quod Reformationis titulo, a B. Roberto Molinensi Abbate Benedictino anno 1098. instituti essent, & D. Benedicti Regulam profiterentur.

Non extat quidem disertissimum illud Sacchetti fragmentum in exemplaribus cæsis, quæ Florentiæ primum anno 1568. prodire: a quibus prudentum editionis Curatorum studio, uti & alia nonnulla, Carmelitanis minus æqua, expuncta sunt. Extat nihilominus in pervertito Codice manuscripto, olim apud Petrum Junium Ugolini filium, Patrium Florentinum asservato, ex quo caput integrum 223. anno 1596. transcriptum est, & publici Tabellionis fide recognitum; quod penes se custodiri testatur Illustrissimus Præful Angelus de Nuce Archiepiscopus Rossanensis, in Opusculo ea de re adornato: adeo ut suppositionis argui omnino non possit.

II. Porro non est hic animus Sacchetti supinam aberrationem, de resumpto ab D. Thoma morti proximo, ex conscientie stimulo, Monachali cucullo resellere, falsique convincere. Adeo enim infusa, ineptaque est, ut nulla magis. Quis etenim sibi fingat animo, Virum sanctissimum, apicemque Theologorum, cum primum a Benedictinis ad Prædicatores accederet, non omnia rite fecisse, atque ex juris formulis; nec conscientie tunc suæ, obtento si necesse foret indulto Pontificio, consuluisse: ut continuis per annos supra triginta, ob mutatum religiosæ vitæ institutum, stimulis fuerit agitatus, quos non nisi morti proximus exemisset? Aut quis putet, Monachos Fossæ-novæ, si illorum demum cucullum Thomas morti proximus induisset, Monachusque denuo factus, inter Monachos obiisset, non illud demum ad causæ defensionem adducturos fuisse, dum illis coram Urbano V. de restituendo Doctoris Angelici corpore, lis a Dominicanis intentata est? Quæ enim meliori via, sacrum corpus sibi jure debitum ostendissent, quam si palam fecissent, Virum Dei, resumpto demum cucullo, Monachum apud Monachos obiisse? Ad populum itaque phaleras illas.

Verum quod mei instituti est, & officii, id ex hac ipsa Sacchetti supina aberratione unice colligo. Rem fuisse tunc temporis competentissimam, certoque constantem, Thomam primum Monasticum institutum Professum esse, antequam ad Dominicanos accederet: cum vel ex hoc uno fingenda fabellæ occasionem Sacchettus arripere potuerit. Quomodo enim Scriptor cætera non indiligens, Doctorem Angelicum, ob relictum olim Monasticum institutum, conscientie stimulis agitatam commentus esset, si Monasticum institutum nunquam deseruisset? aut quomodo deseruisset, si nunquam re ipsa Professus esset?

III. Erit fortasse qui dicat, Sacchettum utrumque pari libertate fingere potuisse: & Thomam initio Monachum fuisse, & tum tandem in extrema vitæ periodo ad Monachos rediisse. Verum id non dicet, nisi qui Sacchettum mortaliū imprudentissimum simul, & impudentissi-

mum fuerit; qualem profecto se ipse scribendo non præbet, quamquam obortis tunc Religiosis Ordinibus minus æquus exriterit. Ut enim Thomam, quem factum Monachum certo noverat, ad pristinum tandem institutum rediisse crederet, scriberetque; extrema, ut dixi, quadam rerum specie deludi potuit; quod scilicet illum morti proximum ad Monachos accessisse, atque in illorum sinu obiisse inaudivisset; nec satis tunc distinde nosceret, id ne casu tantum, & recipiendi hospitii necessitate, factum esset; quod nullum in vicinia Dominicani Ordinis Cœnobium esset: ac de Viro nondum solemnè Ecclesiæ judicio cælitibus adscripto, tunc temporis scribens, aliquid humani de illo suspicari facile potuit, unde conscientie stimulis ageretur. Verum Thomam factum Monachum, nisi re ipsa sic esset, aut ita publica fama ferretur, non nisi imprudentissime, impudentissimeque fingere potuit; cum nullam eum, ut id fingeret, externa rerum species deluisset: sed de industria, & data opera, fabulam ad struendam calumniam vendidisset. Quod de viro honesto, & Scriptori non ignobili, qualis profecto Sacchettus erat, nemo facile sibi persuadeat. Stat ergo fide integra Sacchetti, quod primam partem attinet, testimonium: tamen quod partem spectat alteram, non nutet modo, sed ad fabulas totum Ætopum olentes, debeat amandari.

IV. Cætera quid persequar ab externis indiciiis petita momenta, quæ licet se sola nil probent, iis tamen quæ probata sunt adjuncta, atque in-texta, accessionem juris aliquam faciunt: Viri, quæ nares non profus obafas habentibus, vestigia veluti patefaciunt, ut latentem veritatem e longinquo subodoreatur, atque perfentiant. Et quidem ego iis me maxime externis indiciiis excitatum olim profiteor, ut Benedictinum D. Thomæ Monachatum, de industria forte a nonnullis occultatum inquirerem, veterisque chartas volendo retererem.

Movit me primum, quod Parisiis olim, in majori Conventu D. Jacobi, ubi maximam vitæ partem D. Thomas exegit, a perisque Magistris, & antiqui moris Viris acceperim, ex prisca Majorum traditione haberi, communiterque teneri, Doctorem Angelicum, sub alba Dominicanorum veste, Benedictinum Schema, seu Scapulare nigrum gestare solitum fuisse. Quod idem a Viro doctissimo, eodemque eximie probatissimo Magistro Julio Mercero, apud Mediolanum Fidei Quæsitore, accepisse profiteor laudatus hic sæpe Vir summus Angelus de Nuce, Archiepiscopus Rossanensis. Cumque id a Doctore Angelico factum, ex pietate cultuque in Divum Benedictum, interpretarentur universi; cogitare tum primum cœpi, unde hæc Doctore Sanctissimo, satis jam Dominicanis lanis onusto, enata pietas esset: numve ad gestatæ olim Benedictinæ vestis, factæque apud Casertenses Religiosæ Professionis memoriam, commodius referretur. Ut qua pietate, servandam illi Dominicani Ordinis vestem concesserat Innocentius IV. si Monachis Casertensibus Abbas præesse vellet: ( ut scribit Thomas Cantipratanus Lib. 1. de Apibus, Cap. 20. ) pari quoque Religione Vir Sanctus, Dominicanis suis adhærens atque convivens, Benedictinam, quam olim Casini induerat, vestem retineret, subitusque deserret.

Illud me quoque non medicriter movit, quod plenissimam rerum Benedictinarum cognitionem in Doctore Angelico deprehenderim: singularem in Benedictinis ritibus, regulis, institutis, moribus explicandis diligentiam, qualem ne in explicandis quidem Dominicanis invenias: Flagrantissimum denique studium, quo Benedictina quæque,

cete-

cæteris ferme neglectis, non nata modo, sed & quæ sita de industria occasione, ita nervose, acriter defendit, ut orare pro Domo sua Cicero videatur; ac si forte Dominicana pertractat, a Benedictinis exempla peti, probationes, & argumenta. Quæ sane disputandi ratio, Theologum mihi sapere videbatur, rerum Benedictinarum usu peritum, ac multa experientia doctum; quas non tam differat ut alienas, quam curet uti domesticas. Num ea me persuasio atque existimatio fefellerit, quæ subinde quæsi, atque inveni Monastica Professionis apud Casertenses emissæ, momenta, probationes, testimonia palam faciunt,

## CAPUT VIII.

Una quæ superest in oppositum difficultas eliditur, ex Scriptorum Dominicanorum silentio petita, Brevarii Romani auctoritas eliditur, explicatur.

I. Probato nunc multisque momentis asserto Doctoris Angelici Monachatu, antequam Prædicatorum Ordini nomen daret; dilutisque inter probandum, quæ identidem occurrerunt, peculiaribus objectionibus; una superest, quæ totam controversiam involvit, difficultas superanda. Quænam illa? Dicam libere: Altum veterum Dominicanorum Scriptorum, de D. Thomæ Monachatu silentium. Quamquam enim nonnulla illi de Thoma puero, & adolescente scripturarint, quæ oblique quidem, & cum aliis collata documentis, Monachatum invicte probent, eundemque ex legitima consecutione colligendum intelligenti Lectori relinquunt: nupiam tamen Thomam Aquinatem ætate prima Monachum aperte dixerunt, aut illum a Monachis Casertensibus ad Dominicanos transiitum scisse, verbis conceptissimis retulerunt. Quæ res, ut ingenue fatear, memet non semel in admirationem adduxit.

Quid inde tamen, si res penitus perpendatur, ad facti aliunde probati atque convicti veritatem labefactandam? Cum nihil in Historica concertatione roboris habeat abutivum argumentum, ex quorundam Scriptorum silentio petitum, ubi factum de quo quæritur, affirmantem momento assertum, probatumque est? Uti plane in judicio forensi, plus valet unius testimonium, in assertionem positum, quam vel milleni testes, qui nihil afferunt. Qui ergo de D. Thomæ Monachatu siluere præsi Scriptorum Dominicani, non idcirco negarunt, aut commentitium esse suo illo silentio docuerunt: sed ut silerent, certis, ut credere par est, rationibus ducti sunt; quæ uti erant illorum temporum propriæ, ita a nobis vix reteri possunt. Dicam tamen quid verisimilius in eo silentio suspicari sint aliqui, quid suspicet ego.

II. Facere nonnulli, qui prisca Dominicani Ordinis Scriptorum, de D. Thomæ Monachatu siluisse suspicati sunt, ne quam tanto Viro inconstans animi labem affricare viderentur, si primum Religiosæ Vitæ institutum immutasse, & a Benedictinis ad Dominicanos transiisse divulgarent: eo vel maxime, quod ille ipse disertissime doceat 2. 2. quæst. 189. art. 8. *Laudabile non esse transire de Religione ad Religionem: tum quia ex hoc perimque scandalizantur illi qui relinquuntur, tum quia quia facilius proficit aliquis in Religione quam consuevit, cæteris paribus. Unde in Collationibus Patrum Abbas Nesteros dicit, unicuique utile esse, ut secundum propositum quod elegit, summo studio ac diligentia ad operis arripit perfectionem pervenire festinet, & nequaquam a sua, quam elegit semel, Professione discedat.* Quod suum ipse documentum non videtur observasse Doctor Angelicus, dum a prima quem elegerat Monasti-

Serry Tom. VI.

ca Professione discessit, & ad Dominicanos convolvit.

Verum falsa prorsus est illa, vanaque suspicio. Nec enim speciosa hujusmodi ratio Dominicanis Scriptoribus, aliisque tam multis impedimento fuit, quominus mutatum a Sanctissimo Parente suo Dominico, & a Divo Antonio Patavino, Religiosæ Vitæ institutum, aperte, distincteque referrent: nec veriti profecto sunt, ne Sanctissimis Viris inconstantis animi notam inuenerit, si Canonicos primam Regulares, ut vocant, tum pauperes Mendicantes existisse publice testarentur: cum probe intelligerent, mutationem in melius factam, inconstantis non esse hominis, sed prudentis, & Religiosi. Nec semper laude caret, ut fingitur, ea Religiosi status immutatio, transiitque ex uno ad alterum institutum, ipso quoque iudice Doctore Angelico; sed magna quandoque in laude ponitur, altiorisque virtutis est argumentum. Non enim loco jam appellato generatim & universe docet, non esse laudabile transire de Religione ad Religionem; sed restricte duntaxat; nempe nisi propter magnam utilitatem, vel necessitatem transiit fiat; quæ nonnullis quandoque contingunt. Quin etiam e vestigio subiungit: *Potesse tamen aliquos laudabiliter de una Religione transire ad aliam, triplici ex causa; Primo quidem zelo perfectioris Religionis . . . secundo propter declinationem Religionis a debita perfectione . . . tertio propter infirmitatem vel debilitatem.* Hanc itaque affectati silentii rationem in Dominicanis Scriptoribus, a nonnullis excogitam, nec agnosco ego, nec probor. Tantumque abest ut suum ipse documentum violaverit Doctore Angelicus, dum relictis Benedictinis, ad Dominicanos accessit, ut potius religiosus servavit.

III. Quandoquidem autem meris hac in re suspicionibus datur locus, tantique silentii ratio divina potius relinquatur, quam probanda; suspicor ego fortasse non imprudenter, de D. Thomæ Monachatu siluisse prisca illos Dominicani Ordinis Scriptorum, pro sua ut par erat, in Monasticum institutum veneratione, observantia, pietate. Dum enim transiitum illum ex una ad alteram Religionem, tunc tantum laudabilem doceat Doctore Angelicus, ( ubi ex infirmitate vel debilitate non sit ) dum ab imperfectiori Religione ad perfectiorem acceditur, aut certe dum a debita perfectione Religio que relinquatur declinat, dum navigium in ea Religio incipit licentius vivere: quid aliud amabo fuisse, palam aperteque vulgare, D. Thomam a Benedictinis ad Dominicanos laudabiliter transiisse; quam Benedictinum institutum Dominicanum imperfectius declinare; ejusdemque a debita perfectione deflectionem, inductamque vivendi licentiam propalare? quod ut erat invidia plenum, minusque in Dominicanorum ore ad modestiam compositum; nec nisi ægris auribus faisset exceptum; maluerunt religiosi Scriptorum, ac minime mali, eam D. Thomæ transitionem præterire; prudentique silentio suam in spectatissimos Monachos venerationem, cultumque testari. Ne tamen prudens illud, religiosumque silentium veritati fraudi esset, nonnulla identidem de Thoma puero, & adolescente retulerunt, quæ si a perpicaci diligentiique Lectore recte pensentur, & cum aliis illius ævi documentis debite conferantur; Thomam a prima ætate Monachum factum, ad Dominicanos subinde convolvasse, plus satis evincunt.

IV. Pari moderatione Dominicanos usos vi-deo, in enarranda extrema ægritudine, qua sub-latus est D. Thomas. Nempe quod in acerbio illo casu, gravius fuit, quod molestius, quod ini-quius, silentio prætermisere: ne qua forte veneni-

K k 2 Do.

Doctore sanctissimo propinati oeraretur invidia Sicilia Rex, qui summo præ cæteris cultu venerandus erat. Non defuere liquidem extra Prædicatorum Ordinem Viri summi, qui veneno sublatum Doctorem Angelicum scripserint, huiusque criminis Carolum Primum Siciliæ Regem insinularint. Cum Carolus Viri Sancti, quem Regni sui rerum instructissimum esse sciebat, gravem auctoritatem veneretur; ne in Lugdunensi Concilio durum aliquod negotium sibi faceret; nefandissimum hunc suis rebus consulendæ modum (veneni scilicet potionem) aggressum illum existimavit: Uti legere est in ejus Vita ex pluribus Scriptoris collecta, quæ Romana illius Operum editioni præfixa est anno 1570. Hoc idem paulo aliter retulit Joannes Villanius Florentinus Lib. 9. Historiarum, quas vertente sæculo decimo quarto Italice scripsit, cap. 218. ubi decretam refert ætate sua Doctore Sanctissimi apothecium. Hoc anno 1323. sub finem Mensis Julii, Avenione, a Joanne Vicefimo secundo, ipsique adherentibus Cardinalibus, factis adscriptus est Frater Thomas de Aquino Ordinis S. Dominici, in sacra Theologia & Philosophia Magister, Vir omni doctrine genero Excellentissimus; qui post D. Augustinum Scripturam Sacram cæteris omnibus sublimius exposuit. Vixit ille temporibus Caroli I. Siciliæ Regis. Cumque ad aulam Pontificiam, Conciliumque Lugdunum celebrandum pergeret, dicti Regis Medicus cum veneno Salsamis saccharo conditis admixto, ut dicitur, enecavit; rem Carolo Regi gratissimam facturus: propterea quod Thomas ex Comitibus Aquinatus, qui in ipsum rebellaverant, sanguinem duceret; metusque esset, ne ob eximia eruditionis, & virtutum merita, Cardinalis crearetur. Quare summo Ecclesiæ Catholice damno perpetratum est facinus. Obiit ille in Abbatis Fosse-nove, dum illuc iter agens decurrisset. Verum & hæc omnia, ut erant invidiæ plena, alto silentio pretermittenda judicantur, præsertim illi Dominicanorum Ordinis Scriptores; nec nisi de acutis dixere stomachi doloribus, quibus in extrema illa vitæ periodo agitur est Vir Angelicus; de frequenti ac pene continua vomitione, de nausea, cibique cujusque fastidio: datione in cibo veneni effectus esse siluerunt. Ut hinc noverint universi, quanta Viris illis minime malis cura fuerit, ea omnia silentio involvendi, quæ alienam quoquo pacto invidiam concitare posse viderentur. Idque forte in causa fuisse, cur de D. Thomæ Monachatu Benedictino siluerint; aut certe de illo non nisi per ambages, & in ænigmate locuti sint; ne Casinenses offenderentur, quos Doctor Angelicus, ut ad Dominicanos accederet, reliquisset.

Nihil est tamen ad præsens, cur & nos silentium de hoc ipso Monachatu teneamus, & ab ea ventilanda controversia temperemus; in qua nullus jam est, aut esse potest invidiæ locus. Cum enim D. Thomam Aquinatem, Monachum antea Benedictinum, quam Dominicanum tandem agnovissent Benedictini Ordinis Professores, eruditione, & auctoritate præcipui, de quibus diximus Cap. vi. eundemque, Benedictino instituto relicto, ad Dominicanum transiisse, & voce, & scripto defendere: citra invidiam id a nobis probari, omnique asseveratione confirmari patientur, quod ipsimet ante nos & scripserunt, & propugnarunt.

V. Sed nec erit in tota Republica Litteraria Censor usque adeo morosus, & Cavillator, qui nobis vitio verat, nimique audaciæ tribuat, quod primam Doctore Angelici ætatem, peracta initio studia, novumque susceptum Religiosæ Vitæ Institutum, longe aliter narraverimus, quam ejus in Breviario Romano descripta ferat Historia.

Equis enim nesciat, narratas in eo statarum precum Codice, Divorum Historias, ab Ecclesiæ duntaxat probari, quod nihil Fidei, Religionis, pietati contrarium referant, nihil sacris morum Regulis adversum, nihil absonum complectantur: non quod certa, constanti, atque indubitata auctoritate valeant, in factis Divorum, quibuslibet percontandis? Immo licere per Ecclesiæ eruditum Viris, semperque licuisse, nonnulla Divorum gesta, in Romano licet Breviario enarrata, ad crism exigere, ad severioris Criticæ leges expendere, ac etiam aperte negare, fallique convincere? Quod Viri summe pii, ac Religiosi, Ecclesiæ indulgenti, ac permittente, & fecere olim, & faciunt etiamnum hodie: qui contra disertam Sacerdotalis Breviarii testificationem, Jacobi Majoris (exempli causa) in Hispaniæ Apostolatam, fundamque illic ab eo Christianam Religionem, ac Templam etiam erecta, Cardinali Baronio prælucente, inficiantur apertissime. B. Bartholomæi sacras Reliquias, Benevento ab Othone Tertio Imperatore Romam translata, Cardinali Ursino vade, ac præstite, diffidentur. Petrum Apostolorum Principem annos viginti quinque in Romana sedisse Cathedra, ejusdemque ferrea Vincula, quibus Jerosolymis primum, tum Romæ confictus fuerat, sub Theodosio juniore, & Eudoxia simul collata, in unum derepente coaluisse, constantissime negant. Lucam Evangelii scriptorem Picturæ Artem calluisse, Sacrosque Christi Servatoris, Matrisque Virginis vultus, penicillo reddidisse, omnino negant. Magdalenam peccatricem, Marthæ, & Lazari sororem nequaquam agnoscent, sed alteram longe diversam pudicam semper, & castam. Sacre hujus Familie in Provinciam appulsam; Dionysii Areopagite, in Gallias missionem, Episcopatum Parisiis gestum, editosque ab illo Libros de Cœlesti, & Ecclesiastica Hierarchia, de Divinis Nominibus, & de Mystica Theologia, in fabulis habent. Marcellini Romani Pontificis idolatriam, celebratamque ea occasione Sinuesanæ Synodum, Templam Sæculo secundo, ac etiam primo Divis erecta, aperte rejiciunt. Baptizatum Romæ a Sylvestro Romano Pontifice Constantinum Imperatorem, ac lepra mundatum; Scriptum ab Athanasio Fidei Symbolum; sepulturam in Monte Syna ab Angelis Catharinam Virginem Alexandrinam; eandemque cum Philosophis publica disputatione coram Maximino congressam; Clementem Romanum Pontificem trans Mare Ponticum ad Urbem Chersonæ, in exilium actum; ejusdemque sepulturam Maris recessus prodigio detectam, ac celebratam; Eustachium adversæ fortunæ casibus agitatam; prodigiale undecim millium Ursulæ Sodaliæ Virginum agmen; aliaque id genus longe multa, quorum illadem texere facile fuerit, Breviarii Romani auctoritate posthabita, fictas arte fabulas dicunt; eoque titulo Scriptis eruditissimis ex formula probatis, summoque plauso exceptis, nonnullis etiam Romæ cufis, & publicatis resellunt data opera, oppugnant, falsi convincunt.

Hæc si summis licere Viris, licentque etiamnum hodie, quicquid idcirco nimia peccare audacia censeantur; quis mihi jure succenseat, quod Breviarii Romani auctoritate posthabita, facta nonnulla minoris longe pretii, ac momenti, queque Fidem, Religionem, ac Mores nulla prorsus ratione contingunt, ad severioris Criticæ leges exegerim; ut Thomam Aquinatem ante Benedictinum, quam Dominicanum ostenderem? Ne & illo Benedictina Religio, cæterarum omnium Caput, & Princeps careat ornamento, quod illustrare, & exornate posset universas.

I N D E X R E R U M N O T A B I L I U M.

**A** Abbates extranei Benedictinis Monachis non præficiendi. Pagina 254  
 Abbas creandis ætas nulla definita, in regula D. Benedicti. 255  
 Abbates permulti ad Mendicantium Ordines initio convolarunt. ibid.  
 Albertus Magnus Parisiis in publica platea non docuit, quæ nomen ejus ad hanc usque diem tenuit. 253  
 Alexander (Natalis) resellitur, ac secum pugnantem ostenditur. 250  
 Angelus de Nuce Archiepiscopus Rossanensis, Monachus D. Thomæ defensor, ac propugnator. 258  
 D. Antonius laudatur. 249  
 Idem emendatur, & impugnatur. 253  
 D. Antonius Patavinus antea Canonicus Regularis, quam Minorita. 259  
 D. Athanasius num Symbolum scripserit dubium est. 260

**B** Aronius (Cardinalis) laudatur. Præf. 258  
 D. Bartholomæi ossa num Benevento Romam translata. 260  
 Bartholomæus de Capua testis in processu Canonizationis D. Thomæ, de illius Monachatu fidem facit. 249  
 Beda in pueritia oblatum Deo, dicaturque sub regula D. Benedicti. 246  
 Benedictinorum Ordo alienis non eget ornamentis. Præf. 246  
 Sub Benedictinorum disciplina educatus D. Thomas Neapoli. 251  
 Benedictinorum rerum cognitio quanta in D. Thomæ. 258  
 Breviarii Romani qualis, quantaque in rebus Historicis auctoritas sit. 260  
 Idem quo sensu ab Ecclesiæ probetur. ibid.  
 Brevius (Abraham) laudatur, & emendatur. 252

**C** Carolus Siciliæ Rex, veneni D. Thomæ propinati infirmulatus. 259  
 Casinense Monasterium in munitionem conversum a Frederico II. Imper. 255  
 Catharina Virgo & Martyr num ab Angelis sepulta in monte Syna. 260  
 Ejuſdem cum Philosophis congressus incertus, & dubius. ibid.  
 Cistercienses Monachi Benedictini, ex reformatione Roberti Molimensis. 258  
 Clemens I. R. P. num actus in exilium trans mare Ponticum. 260  
 Num ejus sepultura recedentis maris prodigio relecta sit. ibid.  
 Clemens III. R. P. emittendæ professionis debitum oblati Deo pueris sustulit. 251  
 Constantinus Imper. an Romæ baptizatus a S. Sylvestro. 260  
 Constantinus Abbas, Monachus D. Thomæ defensor, & propugnator. 257  
 Conventus Aquilgranensis de pueris Deo oblati judicium. 248

**D** Donsus Areopagita num in Gallias venerit, & Parisiis Episcopatum gesserit, dubium. 260  
 Ejus nomine vulgati libri perinde dubii. ibid.  
 D. Dominicus antea Canonicus Cegularis, quam Prædicatorum Ordinis institutor. 247. 259  
 Dominicani Scriptores cur de D. Thomæ Monachatu siluerint. ibid.  
 Quam cauti in factis odiosis referendis. ibid.  
 Dominicani Ordinis gloria nihil læta, sed aucta potius, ex D. Thomæ Monachatu. Præf. 251

**E** Ehardus (Jacobus) Bibliothecæ Dominicanæ auctor resellitur. 251

Elſteda Oſavi Anglorum Regis filia annicula Deo oblata atque dicata, sub regula D. Benedicti. 247  
 Eustachius num adversæ fortunæ casibus jactatus, incertum. 260

**F** Fontana ( Vincentius M. ) laudatur. 252  
 Formula oblationis puerorum sub regula D. Benedicti. 247  
 Fredericus II. Imp. Aquinatium Comitum familie præcæteris infensus. 252. 256  
 Idem Reginaldum D. Thomæ fratrem morti addidit. 254.  
 Idem Monachos Casinenses e Monasterio ejicit. 255

**G** Geraldus Ademari, & Garindis filius, Deo certis conditionibus dicatus, sub regula D. Benedicti. 247  
 Gerardus de Fracheto germanus auctor libri de Vitis fratrum. 252  
 Godesfridus quinquennis Deo a Parentibus oblatum, atque dicatum. 246  
 Gregorius II. R. P. rescriptum de pueris Deo oblati. 248  
 Guiso Guillelmi filius oblatum Deo saculo decimo tertio. 250  
 Guillelmus de Thoco laudatur. 249  
 Guillelmus a Sancto Amore a D. Thoma confutatus. 250.

**H** Ildebrandus, qui & Gregorius VII. puer septennis Deo oblatum atque dicatum, sub regula D. Benedicti. 246  
 Hugo Menardus oblatum Deo pueros ad profitendum adstrictos docet. 248

**I** Jacobus Major Joannis frater, num in Hispania Apostolatam gesserit. 260  
 Jacobus de Mevania, & Jacobus Salomonius eadem die in lucem editi, ac D. Thomas. 252  
 Innocentius IV. R. P. Casinensi Monasterio Abbatem præficit D. Thomam. 253  
 Idem servandam illi Dominicanam vestem indulget, etiam in ordine Benedictino. 258  
 Joannes Villanius veneni D. Thomæ propinati Carolum I. Siciliæ insinular. 259  
 Isidorus Hispanensis stabilitatem puerorum oblatorum testatur. 248  
 Julius Mercorus Inquisitor Mediolanensis laudatur. 258

**L** Anfrancus oblationis puerorum ritum describit. 247  
 Langii Chronicon laudatur, & emendatur. 258  
 Leander Albertus laudatur. ibid.  
 Libri Dialogorum D. Gregorio R. P. afficti. 249  
 Lucas Evangelii scriptor, an pictor. 260

**M** Abilonius ( Joannes ) laudatur, & commendatur. 248. 256  
 Idem explicatur. 250  
 Magdalena peccatrix, num Lazari soror, & Marthæ. 260.  
 Sacre hujus familie in Provinciam appulsus quam dubius. ibid.  
 Magistri D. Thomæ Neapoli, non alii quam Benedictini. ibid.  
 Marcellini R. P. idolatria penitus commentitia. 250  
 Martyrologium Casinense D. Thomam Benedictinum agnoscat, antequam Prædicatorem. 256  
 Martinus ( Edmundus ) oblatum Deo pueros Monachatu adstrictos docet, ac probat. 248  
 D. Maurus duodennis oblatum Deo, sub regula D. Benedicti. 246  
 Monachus ad professionem non recipiendus, in spem Abbatæ obtinende. 254